Fragmentarium

tivus organa interiora et instrumenta informata sensibilibus formis agere possunt in organa propriorum sensuum secundum formam ut perfectio in perfectibili que et naturaliter est in eis sicut actus in potencia. Ad eam ergo que ex principio est consideratio nostra in intentione nostra revertatur. Sicut enim ex hiis que dicta sunt patet post recessum sensibilis extrinsecus in cella anteriori capitis ubi sita est formalis, conveniunt simulacra habentia similitudinem aliquam cum forma que est obiectum sensus et hoc precipue fit quando ea que sunt prima sensibilia que agunt in organa sensus valde disponuntur ad agendum secundum aliquem sensum specialem et secundum effectum quem imprimunt in ipso. Effectus enim valde attinorum multum penetrat in passivum sibi proportionale.

In cella anteriori capitis ubi sita est formalis conveniunt simulacra

Si globulus ex cera formetur

Mentiendi causa universalis est in sensibus

Capitulum vii. que sit prima causa deceptionis in sompnis et quot sunt.

Adhuc autem ex olim longe dictis apparet quod facilitas deceptionis in sensibilibus tam in dormiendo quam in vigilando est ex passionis vehementia in qua existimus et diversi homines et animalia sunt in diversis passionibus et ideo diversas habent causas sue deceptionis in hiis que apparent in sensu sicut timidus decipitur in timore existens et amans decipitur in amore vehementi existens in tantum ut etiam propter modicam similitudinem videatur timenti quod videat hostes, et amanti videatur quod videat dilectum. Eodem modo est etiam in iram et in omnibus concupiscentiis et passionibus quod facile videlicet decipiuntur omnes existentes et detenti ab eis. Adhuc autem quanto utique passibilior et magis detentus passione quis fuerit tanto a minore movetur et permutatur similitudine et magis ac magis movetur quanto in passionibus fuerit magis ac magis. Hec enim est causa quod febricitantibus quibus materia vaporatur ad caput videtur quod animalia videant in parietibus propter modicam linearum casu pertractarum in parietibus similitudinem. Et quidam taliter infirmantium quibus non detinetur in totum usus vehementer decertant apud se contra fantasmata scientes falsum esse et hoc quia non in eis qui non laborant multum. Non enim tunc latet eos quod falsum est quod tunc dicit ymaginatio. Si enim maior sit passio infirmitatis ita quod detineat rationem tunc moventur ab ipsa similitudine innuendo vel timendo vel concupiscendo sicut a re presente. Causa vero in omnibus huiusmodi una est hec videlicet quod anima non iudicat secundum eandem potentiam id quod est principale sicut res et id quo fiunt fantasmata. Primum enim iudicat ratione, et secundum sensum communem vel estimatione sensibili. Huius autem exemplum est quod videtur secundum id quo fantasmata fiunt sol esse unius pedis. Sed alia pars anime que est

Deceptio in sensibilibus tam in dormiendo quam in vigilando est ex passionis vehementia

Terra videtur moveri aspicientibus

Quanto quis magis detentus passione fuit tanto a minore movetur

Hec passio trahit formam ad id quod timet

Si maior sit passio infirmitatis ita quod detineat rationem

Lineatio ymaginum in vapore fluido

Secundum fantasmata videtur sol esse unius pedis

sepe in scientibus contradicit ad fantasiam, quod dicit eum esse maiorem tota terra. Similiter autem si globulus ex cera vel cuius alia materia formetur et postea digitus super digitum cancelletur ita quod utriusque digiti extremitate simul tangatur globulus duo videtur esse globulus qui unicus est: attamen non dicimus quod duo sint quia alius sensus qui dignior est in certificando de rebus et numero earum tactui contradicit. In omni enim certificatione dignior est visus quam tactus. Si vero non haberemus nisi tactum et talem tactum qui est cum transpositione digitorum et non alium: tunc procul dubio decepti iudicaremus duo esse quod unicum est et mentiendi causa esset quia non esset aliquid dignius tactu: tactui contradicens. Mentiendi autem causa universaliter in sensibus est non solum ex hoc quod quelibet apparet cum movetur sensibile quod primo movet sensum sicut induximus superius in multis exemplis. Oportet etiam ex hoc quod fiunt apparitiones multe cum ipse sensus movetur secundum formas preacceptas vel naturaliter in eo existentes sicut est lumen et dyafanitas et splendor et huiusmodi. Tunc enim eodem modo movetur sicut sensibile ex prius accepta forma motus in organo. Dico autem explanando hoc. Sicut terra videtur moveri aspicientibus quorum visus ab aliquo prius est motus et ut liquide hoc intelligatur. Oportet scire quod causa deceptionis in sompnis provenit ex uno principaliter, et ex tribus aliis secundario. Principale autem est quia non est contradicens ad fantasma nisi valde raro eo quod humiditas sompni opilat porum per quem est transitus ymaginum ad usum rationis. Et tunc accipit fantasma ut res. Et similis causa est in omnibus amentibus. Unum autem secundarium et non principale est passio. Hec enim trahit formam ad id quod timet vel desiderat. Etiam quod quisque timet vel sperat per sompnium cernit idipsum et ideo luxuriosis fit sompnium de coitu et famelicis de cibo decipiens. Secundum autem decipiens est similitudo cibi vel humoris qui dominatur in corpore ad id quod sompniatur sicut cum dulce fleugma distillat a capite per dentes sompniat se mel bibere. Et colericus sompniat se propter modicum calorem in igne esse. Et fleugmaticus propter modicum frigus: se esse in aqua et sic de aliis. Tertium autem est lineatio ymaginum in vapore fluido interius organa tangente sicut enim vapor est incerte figure ita et ymagines que feruntur in ipso. Hec autem in sequentibus magis erunt manifesta.

Tractatus secundus secundi libri de sompno et vigilia quid sit et qualiter fiat sompnium. Capitulum i. qualiter in nocte fiat sompnium.

Ex omnibus autem hiis que habita sunt de esse et diffinitione sompnii investigantes dicimus manifestum esse quoniam non solum fiunt motus a simulacris que sunt

License: public_domain – Cambridge, MA, Harvard University, Houghton Library, MS Typ 95, f. 7v – Albertus Magnus, Commentarius in librum de anima and De somno et vigilia (https://fragmentarium.ms/view/page/F-zxc4/8645/65882)